

Kreis
Büren.

S. 123

1284 Aug. 6.

[38

Graf Friedrich von Leiningen befreit die Besitzungen des Klosters Hönningen von jeder Schatzungspflicht.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Nos Fredericus comes senior de Liningen omnibus in fide Christi degentibus tam presentibus quam futuris salutem. Ut in posteris modernorum facta divinentur, necesse est ea scriptis testiumque munimine roborari. Elucescat igitur tam presentibus quam futuris, quod nos de consensu et bona voluntate dilecti filii nostri Frederici ob amorem Dei omnipotentis et gloriose virginis Marie, eiusdem Domini nostri [matris], universa bona ecclesie beati Petri principis apostolorum in Hegenehe in nostra iurisdictione seu advocacia sita, que fratres ibidem Deo famulantes iam nunc iuste et rationabiliter possident, absolvimus et immunes dicimus ab omni exactione, que vulgariter schatzunge dicitur, ita quod a nobis vel a nostris officiatis numquam de cetero requiratur. Ne autem aliquis successorum nostrorum hoc presens statutum audeat violare, presentem litteram sigillo nostro fecimus roborari. Actum anno Domini MCCLXXX quarto in die sancti Sixti martiris.

Kopiar Nr. 719.